DE

MORTE GRAVIDARUM, PARTUI PROXIMARUM, ET PARTURIENTIUM,

EX ARTE OBSTETRICIA ET MEDICINA PUBLICA DESCRIPTA.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM EX AUCTORITATE ATQUE CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE ASSEQUENDUM

SCRIPSIT

ATQUE UNA CUM THESIBUS ADIECTIS DIE XXXI. MENS. AUGUSTI ANNI MDCCCXLIII. PUBLICE DEFENDET

EDUARDUS PLANGE,

GUESTPHALUS.

ADVERSARIIS AMICIS:

H. TILGEN, MED. ET CHIR. DR.
M. PIERUNG, MED. ET CHIR. DD.
RUD. SCHNEIDER, MED. ET CHIR. CAND.

BONNAE,

IMPRESSERUNT CAROLUS ET FRIDERICUS KRUEGER.

MDCCCXLIII.

VIRO ILLUSTRISSIMO

HERM. FR. KILIAN,

MED. ET CHIR. DOCTORI, ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSORI PUBL. ORD., MODERATORI CLINICI OBSTETRICII, PLUR. SOCIET. LITTERAR. SODALI. ETC. ETC.

PRAECEPTORI MERITISSIMO, SUMMEQUE VENERANDO

NEC NON

PATRI OPTIMO

ATQUE

PATRUO CARISSIMO

THEODORO PLANGE,

REG. BORUSS. IUSTITIAE COMMISSARIO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

P I O G R A T O Q U E A N I M O

D. D. D.

SCRIPTOR.

INTRODUCTIO.

§. 1.

Mortem gravidarum et parturientium, de qua scribere mihi proposui, iam antiquissimis visam esse populis accurate examinandam et observandam, mythi Graecorum et Romanorum satis docent. Legimus enim apud Lucianum[1]), Mercurium Iove iubente Semelae mortuae septemmensium foetum exsecuisse: et Ovidius[2]) narrat de Aesculapio:

Non tulit in cineres labi sua Phoebus eosdem
Semina; sed natum flammis utero que parentis
Eripuit.

Virgilius[3]) similia dicit de Lycha:

Inde Lycham ferit, iam exsectum matre perempta,
Et tibi Phoebe sacrum.

Has sequuntur, quas Plinius[4]) narrat, observationes:

1) Cf. *Dial. Neptuni c. Mercur.* Ibi loquitur Merc. ad Nept. *Ἐμὲ δὲ κελεύει ἀνατεμόντα τὴν γαστέρα τῆς γυναικός, ἀνακομίσαι ἀτελὲς ἔτι αὐτῷ τὸ ἔμβρυον ἑπταμηνιαῖον.*

2) *Metam.* libr. II, v. 628—630.

3) *Aeneid.* libr. X, v. 315 sq.

4) *Histor. nat.* libr. VII. C. VII.

„Sicut [1]) Scipio Africanus prior natus, primusque Caesarum a caeso matris utero dictus; simili modo natus est Manilius, qui Carthaginem cum exercitu intravit."

Majorem autem vim et auctoritatem sententiae meae affert Lex Julia s. Regia [2]), Numae Pompilii regis aetate data: *„Mulier, quae praegnans mortua ne humator, antequam partus ei excidatur; quei secus faxit, spei animantis cum gravida occisae reus estod."*

Deinde desunt observationes usque ad annum 959 p. Ch. n. unde casus vitae foetus sectione caesarea, post matris mortem instituta, servatae nobis servatus est; quod exemplum usque ad annum 1700 pauca (Nro. XXX), attamen prospera, exceperunt; qua re intelligitur, sectionem Caesaream, in gravidis mortuis instituendam, usque ad annum 1500 neglectam, ac tum demum, praecipue studiis Conciliorum et Pontificum Max. (uti, suadente digno Morgagnio, Benedicti XIV [3]) adhibitam esse [4]). *Saeculum duodevigesimum* viginti et sex casus nobis praebet, quorum quinque prosperi sunt [5]). *E saeculo undevigesimo* vero casus ducentos et quinque cognovi, quorum sedecim bonum [6]) eventum habuerunt [7]).

---

1) Sc. enecta matre.

2) Marcell. Digest. libr. XXVII.

3) Cf. Cap. III.

4) Cf. Heyman, die Entbindung lebloser Schwangern mit Beziehung auf die lex Regia. Cobl. 1832. 8. tab. I. A.

5) Cf. ibid. tab. I. B.

6) I. e. infantes non vivi tantum in lucem edebantur, sed in vita quoque retinebantur.

7) Heyman l. c. tab. II. C. tab. III. C. tab. IV. C. tab. V. C et tab. in §. 15. hui. dis.

Neque illud procul abest tempus, quo tanta exemplorum copia excitavit medicos, ut rem gravissimam in luce collocarent satis clara, si excipis P. Frank, Metzger et nonnullos alios. Prae ceteris autem hic de *lege regia* sermo est, quae pro artis nostrae progressu *rite non est mutata*, quamquam hodierna aetate Reinhardt [1]), Heyman [2]), D'Outrepont [3]), Kilian [4]) V. Cl. et alii dissertationibus gravissimis rei pro virili parte finem imponere studuerunt.

Ad studium de illa lege adiuvandum, ut cognoscatur, necesse est, quibus conditionibus foetus post mortem matris *mortuus* vel *vivus* pariatur, quibusque *diutius* vivere possit; quare hanc partem quam accuratissime mihi tractandam esse putavi.

§. 2.

Mortem gravidarum et parturientium multis variisque ex partibus licet tractari. Quacunque vero ex parte eam contemplatus eris, ut ex medicina publica, psychologia, arte obstetricia, pathologia: rem maximae gravitatis maximique emolumenti esse, maximamque praebere cogitationibus materiam, affirmabis. — Cum hac morte, quae magis, quam ulla alia mors, misericordiam nostram commovet, vitam coniunctam videmus; mulier enim eodem temporis momento corripitur morte, quo in eo

---

1) Ei. Der Kaiserschnitt an Todten, eine gekrönte Preisschrift Tüb. 1829. 8.

2) L. c.

3) Cf. Gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtskunde von Busch, Mende u. Ritgen. III. Bd. 3. Heft. p. 440. ff.

4) Ei. Die Geburtslehre von Seiten der Wissenschaft und Kunst. Frankf. 1842. II. Bd. §. 374. ff.

est, ut propagatione generis humani *legi, qua nata sit,* satisfaciat.

Pauca de singulis partibus praefatus ad argumentum mihi propositum perveniam.

§. 3.

Mortem *psychologice* describere incipienti inprimis occurrit quieta illa et hilaris quasi patientia sortis non avertendae, maxime autem, ut vulgo dicitur, *praesagitio quaedam imminentis mortis,* quae cum studium incitat, tum animum commovet. Cuius rei casum memorabilem narrat Niemeyer[1]). Sed unde hoc tam singulare? Ad originem propius investigandam uterum primo exploremus, praecipue autem vim et valorem partus dolorum contemplemur necesse erit, quo explicatio satis plena phaenomeni supradicti a nobis eruatur. — Ita Boër[2]) de illis docet: *„Dieser mächtige Drang gibt dem kreissenden Weibe eine Stärke über alle Begriffe, und stählt es mit einer Geduld zur Ausdauer, die kein Mann bestehen würde; durch den Wehendrang wird jede Gebärende eine Heroin im edelsten Sinne des Wortes".*

Doloribus elapsis omnis effectus evanuit, omnes animi motus compressi sunt, quorum locum tum conscientia pulcherrima tenet, summo muliebri studio esse satisfactum.

§. 4.

Pathologi est, causam, qua foetus mors efficitur, in singulis casibus e morte matris deducere. (Cf. Cap.

1) Ei. Zeitschrift für Geburtsh. und prakt. Med. I. Bd. 1. St. Halle 828. p. 168. sqq.

2) Ei. Abh. III. Bd. Wien 1810. p. 221.

I, quaest. II. hui. diss.). Faciliore autem opera proximam mortis maternae causam demonstraveris. Si morti morbus acutus seu causa mechanica funesta antecessit, magna ex parte pathologia nos illustrat de eo, quomodo causa cum effectu cohaereat. Longe aliter se habere mortem inprovisam profitemur? Num igitur eo contenti erimus, quod Louis [1]) profert, ac credemus e *summa illa cordis relaxatione* mortem esse deducendam? An potius in his phaenomenis *mortis causam proximam, mortem ipsam,* contineri putabimus? Quae investigatio statim ad alteram quaestionem ducit, *quomodo haec relaxatio oriatur,* an sit effectus praeteritae cuiusdam eiusdemque *haud minus adauctae* irritabilitatis vasorum, *quam* ea est, quae vires exhaurire possit. Nonne his in casibus, quocum partus et graviditas tanquam causa efficiens nexa esse videtur, cum morbo medullae spinalis cohaeret, vel potius cum irritatione spinali praeterita, cum paralysi? — Quarum aliarumque quaestionum observatio singulis in partibus medico rem exploranti certam solum definitionem dare potest.

§. 5.

Physiologia quatenus ad argumentum meum spectat, magna ex parte cum *psychologia* concurrit.

Nihilominus illa magni pretii est, si quaestio de vita matris et foetus coniuncta explicanda est, quam tamen eo magis ut hic praeteream licet, quo infra (cf. cap. I. sect. I.) accuratius mihi illa tractanda est.

Mors gravidarum et parturientium quatenus ad *artem obstetriciam* et *medicinam publicam* pertinet, maximae gravitatis est. *Medicus* enim *obstetricius* unicus

1) Cf. Kilian l. c. vol. II. §. 374.

huius mortis testis est, quoniam solus in auxilium vocatur; quare prae ceteris rem eiusque eventum cognosse eum oportet, ut quam celerrime fieri possit, ad servandum infantem forte viventem omnia, quae instituenda sint, suscipiat. — *Medici publici* est, quae ex casibus resultent, bene examinare et curare, ut leges pro artis vero progressu nostrae mutentur. Res enim duplicis est valoris, 1) partus secundum legem: *„qui in ventre est, iam pro nato habetur, si de illius commodis agitur“* (Lex VII et XXVI. Digest. de statu hom.) ut membra civitatis, poscunt, ut serventur; 2) servato tum partu rei publicae novi cives oriuntur, pro quibus cura eadem est, quae medicam politiam constituit.

Paene in eo eram, ut iurisprudentiae rationem non haberem. Ad iurisprudentem quoque spectat quaestio de gravidae parturientisve morte. Haud enim raro, servato partu, id efficit ille, ut servetur hereditas patri, quae mortuo infante huic non obvenisset.

§. 6.

Iam ad argumentum ipsum perveni, quod ex arte obstetricia et medicina publica praecipue describere conatus sum; cui, ut, legendo magis accommodem, et scribendo facilius tractem, divisionem in *capita tria* praeponam necesse est, quorum

in **primo** disseram de quaestione, *utrum foetus matri mortuae supervivere possit,*

in **altero** *ea* explicabo, *quae medico obstetricio in casibus propius iam designandis, facienda sint.*

in **tertio** *denique leges interpretabor, quae, matre mortua, quid ad foetus vitam servandam fieri iubeant, et, quomodo eae modificandae sint, adiiciam.*

CAPUT PRIMUM.

§. 7.

Exstiterunt inter naturae speculatores, ut Bauhinus [1]), Mery [2]), Eschenbach [3]) et alii, qui vitam foetus morte matris exstingui, affirmarunt: partus enim quoque temporis momento a matre succos recipiat ac spiritum ducat, necesse esse. — Maior tamen et gravior eorum numerus [4]), leges omnium gentium ad hoc spectantes, multi certissimi casus observati, nec non physiologicae rationes evincunt, foetum revera matri mortuae posse supervivere. Legibus in cap. tertium reiectis, hic mihi explicandas sumo quaestiones, *quatenus*

1) argumenta physiologica, deinde

2) observationes certae, ubi sectione caesarea in mortuis gravidis infans vivus receptus sit, tum

3) observationes his similes, ubi in mortua matre infans vivus dignotus, vel ex illa expulsus sit, denique

4) casus ad hoc spectantes, in animalibus observati: sententiam supra expositam confirment.

---

1) In praef. ad. libr. Rouselli de exsect. foet. viv. ex matre viva.

2) Abhandl. der Königl. Akademie der Wissenschaften in Paris, 3r Theil, Jahrg. 1708, p. 267.

3) Ei. observationes anat. chir. med. rar. 22. et 40.

4) Cf. §. 8. sqq.

Quaestio prima.

§. 8.

Physiologicae rationes foetum matri posse supervivere evincunt, etsi singulorum physiologorum, inprimis antiquissimorum sententiae, plus minusve nobis haud satisfaciunt.

Hebenstreit[1]) e. g. vitam foetus a residuo matris calore pendere, quo exstincto interiret, contendit. Petrus Frank[2]) profert, foetum solum videri talibus in casibus motum succi circularem, qui alias e matre pendeat, per aliquot temporis spatium suscipere, et, (etsi spiritum ducere et trahere, eoque motum sanguinis circularem efficere per vasa pulmonum non possit,) per vias foetui proprias ita agere, ut vita eius, quamquam imbecillis, per aliquod tempus servari queat.

Quocum consentiunt Fr. Mauriceau[3]), Berger[4]) et Haller[5]). Recentiorem autem et pro arte nostra validiorem proponit sententiam Osiander[6]), qui phaenomenon maxime mirabile esse vocat, uteri gravidi vitam diutius durare, quam in aliis partibus; verba, quae huc pertinent, habeto haec: *„So wie die Lebenskraft bei vielen thierischen Körpern nicht mit einem Male aus allen*

---

1) Ei. Zusätze zu Bell's Lehrbegriff der Wundarzneikunst, V. Theil, 46. Hauptstück.

2) Ei. System der medizinischen Polizei, 1r Band. 2r Abschnitt. §. 4. Mannheim 1779.

3) Ei. Aphorismes touchants la grosseuse et l'accouchement, aphorism. 245. Paris 1694.

4) Ei. Physiologia p. 485.

5) Ei. Vorlesungen über Arzneiwissenschaft p. 28.

6) Ei. Handbuch der Entbindungskunst, 2r Band. 2te Abth. §. 27 et 28.

Theilen weicht, so weicht sie auch aus dem weiblichen Körper oft nur stufenweis, und verweilt am längsten in der schwangern Gebärmutter, wo sie von dem eigenthümlichen Leben der Frucht und der natürlichen Wärme noch eine Zeitlang erhalten zu werden scheint, nachdem sie in den übrigen Theilen bereits erstorben ist."

In §. 28. pergit ita: *„Die Lebenskraft erhält sich aus einem andern Grunde noch länger in der Gebärmutter, als im übrigen Körper, weil ihr nämlich durch grösseren Säftezufluss während der Schwangerschaft ein höheres Maass von Lebenskräften zu Theile wird, als den übrigen."*

§. 9.

Mende[1]) docet, haudquaquam esse phaenomenon prorsus inauditum, uteri vitam pulmonum, cordis et cerebri superare; esse enim auctore Bichat in luce positum, mortem tum ab hoc tum ab illo deduci organo, denique tandem super totum corpus extendi. Quae si supremo ad uterum extendatur, id minus esse mirum, cum cognoverimus, nullum organum ex corporis vita minus pendere, quam ipsum uterum. Hac autem ad extremum orta uteri morte explicari posse casus, ubi post mortem matris infans *mortuus* vel, quod maxime notandum, *vivus* in lucem editus sit. [2])

§. 10.

Quibus praemissis elucet, foetum matri mortuae *posse* supervivere; cui tamen rei observationes, quae exstant, ubi scilicet praeteritis quibusdam matris morbis

---

1) Ei. Beobachtungen und Bemerk. aus der Geburtshülfe und gerichtlichen Medizin, Zeitschrift, 1s Bändchen. Gött. 1824. p. 136 u. 137.

2) Cf. §. 16, 3.

infans semper mortuus pariebatur, non contradicunt, quum plerumque, (uti infra evidentius explicabo, per ipsam mortis causam infans vel *ante* matrem necaretur vel vi mechanica, quae causa aut effectus matris mortis erat,) mors infantis una cum matris morte efficeretur.

Quaestio altera.

§. 11.

De foetus vita post mortem matris durante non dubitabis, si factorum bona eventa contemplatus eris, quae nobis sectiones caesareae in gravidis mortuis peractae, et in annalibus medicinae et artis obstetriciae descriptae, ostendunt. Illa facta sunt collecta ab Reinhardto[1]) et planiora reddita ab Heymano[2]), quorum opera quaestioni meae fundamento posui et ipsis exemplis novissima ex annalibus medicorum collegii Confluentini annorum 1830 usque ad 1840 in fine §. 15. adieci.

Attamen casus ante saeculum duodevigesimum observatos neglexi, tum quia auctores non semper e fonte fide digno hauserunt; tum quia plerumque casus prosperos narraverunt, quae causa animum inclinat, ut cum Metzgero[3]) concludam, *matres* saepenumero sine dubio *specie tantum mortuas* fuisse; denique, quia casus ad aetatem pertinent, quae ab artis obstetriciae literato cultu satis procul aberat. — Casus contra e saeculo XVIII^mo et XIX^mo accuratiore deliberatione dignatus sum, quos

---

1) L. c.
2) L. c.
3) L. c.

propius indagans intellexi, prae ceteris *causam mortis matris* maximi esse momenti in exponenda quaestione, utrum foetus matri mortuae supervivat, necne. Qua re divisio eventorum, in *tres partes* exorta est, quas in §. §. sequentibus leges; attamen non possum facere, quin profitear, illas *non posse accurate* limitari.

§. 12.

a) infans mortuus in lucem edebatur:

si mater mortua erat:

1) Ruptura uteri. In omnibus casibus narratis foetus mortuus erat, quae mors aut detrimentis rupturam uteri efficientibus oritur, aut ab utero soluta placenta, aut per vulnus uteri constricto organo dignissimo, ut e. c. collo [1]);

2) Metritide et *gangraena uteri;*

3) Inflammatione cerebri;

4) Bronchocele, hydrothorace, pneumonia, apoplexia et *paralysi pulmonum, carcinomate pulmonum;*

5) Gastritide, carcinomate ventriculi, induratione hepatis, ascite;

6) Typho, exanthematis acutis;

7) Lapsu periculoso;

8) Gangraena artuum;

9) Nimio coitu;

10) Consumptione virium. Casus omnino infelices erant. Stein [2]) profert esse verisimile, foetum illa consumptione ante matrem perire;

---

1) Cf. Kilian l. c. §. 349. f.

2) Ei. Lehrbuch der Geburtshülfe. II. Theil. p. 459.

11) Haemorrhagiis, placenta praevia exortis. Semel solum vivebat infans per exiguum tempus. Haemorrhagiae huiusmodi plerumque in mense septimo, *nunquam antea*, occurrunt [1]), sunt saepius lethales, ac mors magna ex parte repentina est. Sed cuinam causae haec mors infantis imputanda est? Utrum sanguinis exhaustioni, ut Reinhardt [2]) quaerit, an convulsionibus, quibuscum plerumque mors matris intrat?

12) Haemorrhagiis in partu vel fine graviditatis. Infantes plerumque mortui, exceptis quatuor casibus, in quibus vixisse, paulo post autem mortui esse dicuntur.

13) Convulsionibus. Infantes mortui, duobus casibus exceptis, in quibus imbecille signum vitae ediderunt, quod mox tamen evanuit. Casum primum narrat Siebold [3]) alterum Osiander [4]) de regina Hispaniae, quem tamen Reinhardt valde addubitat, divinari posse inquiens a nobis, annon ideo illa vitae signa sint excogitata, ut infantem baptizari saltem liceret.

14) Phthisi. Quatuor in casibus infantes vivi fuerunt, paulo post autem mortui sunt; quos ad casus pertinet exemplum D'Outrepontii. [5])

15) Epilepsia. Duo casus exstant, in quibus infantes mortui erant, in uno vivebat partus. [6])

---

1) Cf. Kilian l. c. §. 405.

2) L. c. §. 14.

3) Ei. Journal 4r Bd. 2. Stück. p. 319.

4) Ei. Handbuch der Entbindungskunst, II. Band. II. Abtheilung. §. 218. Note.

5) L. c.

6) Reinhardt (l. c. §. 15. d.) morbum epilepsiam cum convulsionibus confudit; at secundum Neumann (in libro „*Von den Krankheiten des Menschen. Specieller Theil 4.*

16) Matre fluctibus interempta ter infantes mortui sunt, *bis* tamen vivebant et in vita servabantur; qua ex re concludó, infantes, si vivi ad lucem veniant, vitam sustenturos esse.

17) Hydrope matris mortuae unum exemplum inveni prosperum[1]); infans enim vixit dimidiam horam.

§. 13.

b) infans vivus in lucem edebatur, sed paulo post moriebatur.

Huc pertinent:

1) casus sub Nro. *a*, 10, 11, 12, 14, 15, 16, 17 percensiti.

2) si mater *terrore* mortua erat, et

3) inflammatione coli maligna, enteritide, anasarca.

§. 14.

c) infans in vita servabatur:

1) in casibus sub *a, 16.* narratis

2) matre perempta *ictibus cultri, exustionibus, contusione abdominis, fulmine* percussa.

Band. 2. Aufl. p. 644.") epilepticae nunquam convulsionibus laborant. Eius verba haec sunt: *„Seltsam ist, dass epileptische Frauen nie daran leiden (sc. Convulsionen), sondern oft gerade die allergesundesten Schwangern, doch immer nur solche, die schon während der Schwangerschaft sonderbare Laune hatten, und denen die Aerzte während derselben fleissig zur Ader liessen."*

1) Cf. §. 15. tab.

§. 15.

Restat, ut exempla *ex relationibus collegii med. Confluentini* collecta addam[1]). Plerumque tamen haud prospera sunt, *quod* neque mirum est, quum matres *gravibus* solum morbis perierunt, quodque bene cum iis, quae ex casibus supra commemoratis resultant, consentit.

Num.	Dat.	Causa mortis matris.	Tempus operationis p. m. m.	Effectus operationis.
1.	1830.	Morbus cordis.	Paulo post mortem.	Infans mortuus in lucem trahebatur.
2.	«	Apoplexia.	Duas horae minutas partes.	«
3.	1831.	Asthma.	Statim p. m. mortem.	«
4.	1832.	Convulsiones.	Horam dimid. p. m. m.	»
5.	1833.	Non adnotata est.	Horam unam et dimid. p. m. m.	«
6.	«	Convulsiones.	VIII horas p. m. m.	«
7.	1834.	Non adnot. est.	Statim.	«
8.	«	«	«	«
9.	«	Putrescentia et ruptura uteri.	XX minut. horae part. p. m. m.	«
10.	1835.	Ruptura uteri.	Statim.	«
11.	1836.	«	XXV. hor. minut. part.	«
12.	«	«	Statim.	«
13.	«	Paralysis pulmonum e phthisi.	Horae III. quadrantes p. m. m.	«
14.	1838.	Inflamm. pectoris.	X hor. m. part.	«
15.	«	Hydrops.	Hor. dim.	Infans vivebat per hor. dimid.

1) Cf. §. 11.

Quaestio tertia.

§. 16.

Iam ad tertium locum accedo. Huc pertinet:

1) is casus, ubi, mortua matre in eius ventre motus infantiles animadversi sunt, ita tamen, ut ad foetus vitam servandam nihil susceptum sit. [1])

2) ubi, fructus velamentis ovi perfecte inclusos partum iniisse, observatum est, qui, quamvis spiritum non ducentes, neque succos a matre recipientes tamen sextam per horae partem vel diutius vitam traxerunt [2]).

3) ubi natura sine ulla artis ope post matris mortem foetum per vias pariendi naturales eiectavit [3]), illum quidem viventem vitaeque compotentem [4]): qui omnes casus sententiam meam corfirmant.

Quaestio quarta.

§. 17.

Quarto accedo loco.

Huc pertinent exempla e regno animalium deprompta, ubi post animalia aut mactata, aut alia via leto confecta foetus vivi servabantur. Reinhardt [5]) com-

---

1) Cf. Reinhardt l. c. §. 5. ubi complures huiuscemodi casus descripsit.

2) Cf. ibid. §. 6.

3) *De causis hui. cf.* Kilian l. c. vol. I. §. 213, b. *qui uberius de hoc disputavit.*

4) Cf. ibid. §. 7.

5) L. c. §. 4.

plures huiusmodi casus enarravit, quibus alios iam adiiciam.

Casum memorabilem legimus apud Hartig[1]) ubi ex leporis interfecti utero inciso vivus pullus servabatur. — Casum alterum observavit frater meus qui, dum venatur, ex interfecti leporis utero, praeterlapsa unius horae duodecima parte, inciso duos viventes extraxit pullos. — Casum tertium hui pertinentem narravit nobis Ill. Kilian, qui in venatione ex sue interfecta et hora dimidia post incisa sex vivos pullos servatos vidit.

Legallois[2]) et huc pertinentia scripsit, si vitae foetus actiones sine capite revera licet vocari vitam.

§. 18.

Casus narrati et magni profecto sunt momenti ad sententiam nostram defendendam; sed, licet ceteroquin verum sit, quod Reinhardt affirmat, de hominibus ex

---

1) *Ei. Forst- und Jagd-Archiv von und für Preussen.* 2r Jahrgag. Erstes Heft. 1817. S. 115. N. 4. Cuius verba ipsa egregia, quatenus ad hoc pertinent, tradam: „*Im Monat Februar d. J. wurde eine Häsin geschossen, und sogleich ausgeworfen. Beim Herausnehmen des Gescheides fand sich, dass sie ein Junges bei sich hatte. Die Tracht wurde durch einen Messerschnitt geöffnet, und dasselbe herausgenommen. Nachdem der junge Haase einige Sekunden auf der Erde gelegen hatte, bewegte er sich, richtete den Kopf in die Höhe, schüttelte sich und fing an zu laufen. Durch sorgfältige Pflege wurde er am Leben erhalten*“. Mira est adnotatio, leporem hunc oculis clausis dormitare solitum esse. —

2) Ei. „*Esperiences sur le principe de la vie*“ etc. Paris 1812. pag. 25. §. 1. in quaestione: „*combien de temps un foetus à terme peut vivre sans respirer, à dater du moment, où, par une cause quelconque, il a cessé de communiquer avec sa mère*“. Ibi enim de leporibus capite privatis sermo est.

animalibus coniecturam fieri vix licere, talis tamen contradictio hoc loco inepta mihi videtur, praecipue, si ea uti velis ad exemplorum inopiam, qua ille laborat, excusandam; eventa enim bene cum iis, quae in §. 14. edidi, factis conveniunt, ubi de causa mortis matris externa hermo fuit. —

Quod hodierna aetate moris atque usus esse videtur, ut, quicunque quid de re medica scribant, id experimentis in animalibus instituendis sibi confirmandum esse credant, ego in belluis gravidis non feci, tum quia ad ea solum casus spectaverint, ubi gravida causa externa periit, tum quia eventus eorum non tanti momenti futuri sint, si de gravidis feminis sermo est, ut operae pretium sit, ea faciendi.

§. 19.

Ex argumentis supradictis sequitur foetum matri mortuae *non solum posse* [1]) supervivere, *sed*, quamquam raro fiat, *vero hoc accidere.*

Quum igitur, quibus conditionibus aut supervivere aut accidere foetus soleat, exposuerim, quaequae ex his resultaverint, enarraverim: restat ut quaedam de temporis spatio dicam, post quod in matre mortua operatione instituta infantes vivi servati sunt. Qua in re iterum exempla e saeculo XVIII^mo^ et XIX^mo^ servata [2]), ubi *vivus* in lucem edebatur infans, respexi. Eventus autem docuit, operationem faustissime *intra tres* post matris mortem horas institutam esse, quod tamen ad

---

1) Cf. quaest. I.

2) Cf. Heyman l. c.

eos solum spectat casus, *ubi matre mortua infantes vivi esse poterant,* i. e. in casibus in §. §. 13 et 14. expositis. Qua sententia physiologiae doctrinae [1]) conveniunt, quae, quamquam foetum matri mortuae posse supervivere concedunt, haudquaquam tamen illud in longius tempus extendi volunt.

---

1) Cf. quaest. I.

CAPUT ALTERUM.

---

§. 20.

Gravida (partui proxima) vel parturiens si mortem oppetiit, medici obstetricii est:

1) infantis vitam quamprimum servare,

2) matri autem, quantum fieri potest, parcere, praecipue in casibus, ubi, num revera mater sit mortua, statim non liquet.

Qua in re, quae resultaverunt ex capite praecedente, ubi de infante, quando cum matre pereat, disputavimus, magni sunt momenti, atque in explorandis, quae ad vitam foetus servandam pertinent, methodis accuratius respicienda erunt, quamquam dissimulari non potest, rem et propter exiguum, quod excitavit, studium, et in nimia fontium imperfectione, parum adhuc profectam esse. —

§. 21.

Antequam tamen quid de illa re exponi licet tractandae et absolvendae sunt hae quaestiones:

1) de matris opinata morte,

2) de foetus aut viventis aut mortui indiciis.

De altera hac disquisitione ut primo agam: ad eam pertinent, quae supra exposui, (cf. §. §. 12, 13 et 14.) de durante foetus vita tamquam momenta anamnestica; deinde expendatur, num vivendi facultas supponi posse videatur, i. e. num adeo sit excultus infans, ut vitam queat trahere [1]); tum extrinsecus atque intrinsecus manu exploretur, attendatur ad pulsum et temperiem funiculi umbilicalis, et ad pulsum cordis infantilis examinandum stethoscopus adhibeatur. [2])

Si tamen haec tria simul male verterunt, infantis obitus pro certo est habendus, praesertim ubi, num revera mater sit mortua, non constat.

§. 22.

De morte opinata.

Ubicunque non cito potest matris mors vera e… supponenda est *mors opinata.* Vera autem ipsius obitus indicia habentur:

1) rigor mortis,

2) caloris intestini lapsus sive diminutio usque ad vel infra 14 partes *scalae Reaumuriensis:* [3])

3) putredo.

Haec spectantes indicia egregia persuademus nobis, non convenire ea mortuis gravidis, ubi scilicet periculum

---

1) Cf. Ritgen, Anzeigen u. s. w. — Wilbrand's Physiologie, 2te Aufl. §. 883. — Müller's Physiologie, Buch VIII.

2) Cf. Kilian l. c. Bd. 1. §. 197.

3) Ill. Nasse in libro suo de morte opinata instrumentum ad calorem intestinum metiendum, quod ipse invenit, quodque *thanatometrum* vocat, descripsit.

nimis prope imminet, quam ut antea eiusmodi experimenta parari, quaeque inde eveniant, exspectari possint. Symptoma *alterum* ideo quoque est inutile, quod conclave, ubi commorantur parturientes, usque vel supra 20 partus scalae *R.* calefieri solent.

Interest igitur, alias, quamvis sint minus certae, proponere methodos. Sunt illae:

1) Gravis, qui antecessit morbus; dignorum membrorum plane lethalis violatio;

2) respirationis defectus omnis;

3) pulsus functionisque cordis item defectus omnis;

4) frustraneus omnium contra deliquium remediorum usus;

5) cutis frigidae adspectus;

6) musculorum maxillarium inferiorum, palpebrarum, sphincterum, pupillarum resolutio. — Huius quaestionis gravitas in promptu est, si de periculosa ad servandum infantem instituenda operatione agitur, e. g. de sectione caesarea.

§. 23.

Duae patent viae medico obstetricio in efficiendo consilio suo primario: (cf. §. 20, 1.)

1) partus per vias naturales,

2) p. p. v. artificiales.

Quae postrema multum per tempus fuit unica obstetricii medici methodus. Cuius rei quin *legis regiae* nimis restricta observatio causa fuerit, dubitari non potest, qua lege soli infantis conservationi, neglecta matris

salute, prospicitur. Indidem, Meissnerus [1]) quae obiecit et Fulda [2]), sunt refellenda.

Quod ad temporis momentum pertinet, quo methodus operationis sit adhibenda, observandum est, illam, si revera indicata est, quamprimum esse instituendam; ita enim effectum prosperiorem esse verisimile est, neque rara exempla, in quibus infantes XII vel XXIV horas post matris mortem vivebant, nos eo ducant, ut vitae infantilis spatium experiamur.

I. Partus per vias naturales.

§. 24.

Ad causas, quibus prae omnibus naturalis exanimatarum gravidarum partus comprobatur, pertinent haec:

1) potest partus statim ad conservandum infantem adhiberi, nec opus est exspectare dum certa matris mortis indicia proveniant;

2) vita matris eo non periclitatur, imo

3) secundum Mendeum (l. c.) in ipsa operatione forte reficiendae vitae remedium, si adest mors opinata dicitur inveniri;

4) operatio sedatior, minusque diutina est.

Praeterea naturalem partum comprobant auctores hi:

---

1) Ei. Forschungen des 19. Jahrhunderts im Gebiete der Geburtshülfe. Leipzig. I. Thl. S. 219.

2) Cf. Siebold's Journal für Geburtshülfe. 6r Bd. 3tes Stück. S. 506.

Metzgerus[1], **Schenkius**[2], **Mendeus**[3], **E. ab Siebold**[4], **Osiander**[5], **Froriep**[6], **Ritgen**[7], alii.

§. 25.

Quae huc pertinent operationes hae sunt:

1) versio in pedes cum extractione;

2) forcipis usus aut cum cruenta, aut cum nulla, uteri dilatatione.

Silentio controversias praetereo, in variis libris de admittendis aut reiiciendis operationibus habitas, quoniam plene iam ac perfecte a **Reinhardt** et **Heymano** (ll. cc.) explanatae sunt, sed solum, quae resultant, adiiciam.

Ecce indicia, quae in supradictis operationibus adsunt:

1) ubi *opinatae mortis* maternae verisimilitudo cernitur;

2) ubi iam facta versione aut iam adhibita forcipe mater est mortua;

3) ubicunque alias forcipis usus aut versio cum extractione indicata sunt; in quo etiam speciales indicationes aut forcipis aut versionis hic instituendae continentur; [8])

---

1) Ei. Handbuch der Staatsarzneikunde S. 27. und Vermischte Med. Schriften. l. c.

2) Cf. **Hufeland's** Journal. 1821. April.

3) L. c.

4) Ei. Lehrbuch. 2r Bd. §. 538.

5) Ei. Handb. 2r Bd. 2. Abth. §. 216.

6) Ei. Handbuch. S. 526.

7) Ei. Anzeigen der mechanischen Hülfe. Giessen 1820. S. 403.

8) Cf. **Kilian** l. c. vol. II. Art. de versione et usu forcipis obstetricii.

4) Cruenta uteri oris dilatatio indicata est, ubi illud ad supra dictas operationes non satis patet; sive in gravidis, ubi non patet, sive in parturientibus.

Ceterum secundum notas regulas operationes faciendae sunt.

II. Partus per vias artificiales.

§. 26.

Pertinent ad hunc locum:

I) Sectio caesarea. Indicatur illa:

a) ubi *certa* est mors *matris*, aut ubi *pro certa potest haberi* (cf. §. 22.), infantis contra in dubium vocanda est.

b) ubi, etiam viva matre, indicari solet; (cf. Kilianum l. c. in cap, „de sectione caesarea.)"

c) ubi foetus, dubia matris morte, vere ac certo vivit. —

II) Synchondrotomia, (sectio cartilaginis ossium pubis) quae supra dictis in casibus pro *sectione* caesarea instituitur, quum clunes praeviae aut caput infantis tam arcte in pelvim inserata sunt, ut magna vi sit opus ad eum forcipe retrahendum. [1])

---

1) Has operationes, praecipue si indicatio tertia (sub. c.) adest, caute tantum instituendas, atque post illas curam magnam puerperae esse habendam, intellexeris. —

Adnotatio.

Si secundum supra expositas regulas (e. g. infante certe una cum matre mortuo), nulla methodorum operationis indicata vel omnis inutilis est; ab illis discernenda est sectio matris post mortem, antequam sepelitur illa, instituenda, quam nullo casu, quo conceditur a consanguineis, negligi licet. —

H a c t e n u s   d e   p a r t e   o b s t e t r i c i a. Quoniam denique legibus illa cura praescribitur sanciturque, *ultimum*, quo de hac re agemus, operis nostrae *caput* exordiamur.

CAPUT TERTIUM.

§. 27.

In hac tertia parte mortem gravidarum ex medicina publica considerabo. Qualis ea sit habenda, iis, quae praemisimus, suppositis, et cuius sit gravitatis, iam supra (§. 5.) exposui. Describere autem eam nolui, nisi in fine operis mei, praesertim quum in praecedentibus argumentis posita atque ex iisdem deducenda sit.

Quibus legibus usque adhuc praescriptum est de tractanda morte gravidarum et parturientium? Quid in illis legibus vituperandum? Qualis lex de hac re ferenda erit, ut hodiernis artis obstetriciae progressibus satisfaciat? — Quarum quaestionum explicatione capitis tertii argumentum finiam.

§. 28.

Antiquissimae, quae huc spectat, legis (regiae) supra iam (§. 1.) mentio facta est. *Iure civili* [1]) ita redditur: „*Negat lex Regia, mulierem, quae praegnans mortua sit, humari, antequam ei partus excidatur: qui*

---

1) Digest. lib. XI. Tit. VIII. lex. II.

contra fecerit, spem animantis cum gravida peremisse videtur." —

Utraque lege gravidarum, quae mortem iam obierint sectiones *utique* requiruntur, neque causa maternae mortis, neque fortuita matris aut infantis conservatione spectata.

His ambabus legibus succedunt *Talmud*[1]), (qui eadem continet praecepta), et *Ecclesiae statuta.* Saeculo XII^mo Odo, episcopus Parisiensis, edixit, ut gravidae inter partum mortuae, si infantis suspicio ac spes adforet, aperirentur. — Anno 1404 *Concilium Langeriense* iis, qui, mortuae matre gravida sectionem suasuri essent, *indulgentiam* concessit quadraginta dierum.[2]) Praeterea huc pertinent, quae supra de Benedicto XIV, P. M, memoravi.[3])

§. 29.

In *praescriptione Venetiana*[4]) primam eandemque utilem legis regiae mutationem reperimus, quum opinatae mortis, quatenus fieri possit, ratio ut habeatur, imperetur, et ipsa operatio peritissimis tantum medicis concedatur.

Sequitur anno 1740 *a magistratibus Ulmiensibus lex lata.* (Cf. Rheinhardt l. c. §. 50.). Optimae postea latae leges illi superstructae sunt. — Sequitur deinde *praescriptio Sicula,* anno 1749 publicata, nullis prae lege regia virtutibus conspicua. Idem quadrat in aequales,

1) Cf. Siebold's Journal. 6r Bd.

2) Verdier, iurisprudence de la chirurgie en France. tom. II. pag. 627.

3) Cf. Haller, biblioth. chirurg. tom. I, 1. 6.

4) Cf. Mellius de arte obstetricia. S. 353.

Austriensem [1]), *Wirtebergensem* [2]), *Hildesheimiensem* et *Hassiensem* [3]), praescriptiones.

§. 30.

Anno 1789 *Lippio-Detmoldiensis* [4]) respublica novam promulgavit legem, prae ceteris, usque ad illud tempus latis, excellentem, poscentem *primum*, ut, num reipsa mater sit mortua, indagatur, *deinde* necessariorum contra deliquium remediorum usum; *tum* permittentem sectionem caesaream et synchondrotomiam ibi tantum, ubi in pelve inessent obstacula, in aliis casibus versionem et forcipem praescribentem; *tum* post sectionem iubentem, partu levatam, si ipse non liqueret obitus, III. per horas opinata morte oppressam putari; *tum* partubus ita mortuis prolatis, vitam servandi experimenta requirentem; *denique* medico potestatem magistratus ad auxilium vocandi concedentem. —

Ius Borussicum [5]), anno 1794 vulgatum, ipsam *legis regiae* formam retinet, circumspecte tamen, ut solet ac notum est. Ita enim scriptum legitur: „*Personen, die während ihrer Schwangerschaft und vor ihrer Entbindung gestorben sind, dürfen nicht eher beerdigt werden, als bis wegen Rettung des im Mutterleibe befindlichen Kindes die erforderlichen Anstalten mit der nöthigen Vorsicht getroffen sind*". Haud quaquam tamen reprehensiones, supra de lege regia dictae, ad ius Borussi-

---

1) Anno 1759 et 1568. data.

2) Anno 1755. (cf. Theresien's peinliche Gerichtsordnung v. 31. Decemb. 1768. —)

3) Anno 1787.

4) Cf. Medizinalordnung vom 25. Febr. 1789. Cap. 19. §. 9.

5) Allgem. Landrecht für die Preussischen Staaten. Th. II. Tit 20. §. 737.

eum spectant; quod enim ius, approbatum medicu... omnes de rebus instituendis notitias tenere, supponit, quare generale unum ei praeceptum hic sufficere potest.[1])

§. 31.

Lippico edicto digne succedit *Wirtebergica*, anno 1828 promulgata, praescriptio. Respicit illa:

1) infantem, quatenus vivendi facultatem habeat;

2) opinatam matris mortem;

3) iubet, partus per vias naturales, quomodo fieri possit, pensitari;

4) definit operationis tempus;

5) doctos tantum medicos, at, si res urget, chirurgos quoque operandi facultate munit;

6) Medico magistratus opem offert.

Praeter has leges duae exstant legislationes Heisteri et Petri Frank. (Cf. Reinhardt l. c. §. §. 46 et 47.) Uterque solam sectionem caesaream proponunt.

§. 32.

Si igitur de ea morte specialis ferenda erit lex, oportebit perfectam esse legem. Lex enim, quae medico singula facta imperfecte tantum praescribit, id affert damni, ut ille praescripta, quae exstant, secutus, omni liberetur culpa, etsi praetermiserit etiam ad felicem successum prorsus necessaria.

Wirtebergica, quam supra exposuimus, lex omnium quidem perfectissima: sed eius de eligenda operatione definitiones satis accuratae non sunt, nec reperitur de curandis et matre post operationem fortasse specie tan-

---

1) Rescript vom 7ten Aug. 1820. in Mannkopfii Preuss. Strafrecht. pag. 357. —

tum mortua, et infante item specie tantum mortuo, regula. Itaque in fine dissertationis meae legislationem proponere tentabo ab omnibus supradictis reprehensionibus liberam, et hodiernae artis obstetriciae postulatis respondentem; in hac propositione ad capitis secundi quaestiones lectorem recurrere iubebo.

§. 33.

Illa lege praescribi debet et observari:

1) num mater revera sit mortua;[1])

2) num infans vitam habeat;[2])

3) proponi debet, num, his ita exploratis, iam *naturalis* an *artificialis* partus indicatur, quam ad rem in *praecedente* [3]) *capite* indicationes spectantes comprehenduntur.

4) Si versio vel forcipis usus vel sectio caesarea vel synchondrotomia revera indicatur [4]), praescribendum est, ut summa cum circumspectione et cura operatio fiat, et

5) si post operationem dubia iam matris vel infantis mors est, cura habenda de examinatis instituatur;

6) medico obstetricio, si opus est, magistratum vocandi libera esse debet potestas;

7) ad operationem, *si ita res fert*, chirurgus quoque admitti poterit;

8) tempus, quo operatio fiat, sit definitum. [1])

---

1) Cf. de indiciis verae matris mortis. cap. II. §. 22. hui. diss.

2) Cf. cap. II. §. 21.

3) Cf. §. §. 24, 25, 26.

4) Cf. §. 26. I.

5) Cf. cap. II. §. 23.

VITA.

Natus sum ego Eduardus Val. Ios. Chr. Plange Attendorii, oppidi Guestphaliae, parentibus patre Iosepho Plange, iustitiae Commissario, matre Gertruda, e Gente Flues, quos adhuc viventes veneror. — Fidem profiteor catholicam. — Primis litterarum elementis imbutus Gymnasium, quod in patria floret, per annos quinque frequentavi; tum Coloniense Gymnasium, cuius classem primam inferiorem quum absolvissem domum me contuli et auctumno sequente Arnsbergae, ubi tum Directore Viro Illust. Baaden Gymnasium florebat, testimonium maturitatis nactus sum. Tempore Paschali MDCCCXXXIX dein Giessam petii et ab Ill. Prof. Credner, t. t. Rectore magnifico inter cives academicos receptus apud decanum spectatissimum gratiosi medicorum ordinis Ill. Prof. I. B. Wilbrand nomen professus sum.

Scholae quibus per annum unum et dimidium interfui, hae sunt:

Apud Ill. I. B. Wilbrand: Principia philosophiae naturalis, Botanice, Anatomia universalis, historia naturalis regni animalium, anatomia comparativa, physiologia; apud Ill. Iul. Wilbrand: osteologia, pharmacognosia, anatomia et physiologia organorum sensuum et centri encephalo-spinalis, doctrina de vasis sanguineis et nervis. Ille quoque mihi in arte cadavera dissecandi dux fuit; apud Ill. Liebig: chemia experimentalis; apud Ill. Hillebrand: logice et psychologia; apud Ill. Knapp: pharmacia.

Anno MDCCCXL tempore auctumnali Bonnam adii, ibique a Rectore magnifico Ill. Arndt civibus academicis adscriptus, nomen dedi apud gratiosi medicorum ordinis Decanum spectatissimum Weber.

Praelectiones quas hic audivi sunt hae:

Apud Ill. Plücker: physice; apud Ill. Noeggerath: mineralogia; apud Ill. Naumann: doctrina de morbis chronicis et acutis, pathologia et therapia generalis, semiotice, doctrina de soteriis; apud Ill. Wutzer: chirurgia generalis et specialis, doctrina de operationibus chirurgicis, selecta capita clinici chirurgici, ophthalmiatria; apud Ill. Nasse: therapia generalis et specialis, physiologia; apud Ill. Kilian: doctrina de arte obstetricia, morbis uteri, de instrumentis obstetriciis; apud Ill. Harless: medicina politia; apud Ill. Albers: materia medica et therapia specialis.

In exercitationibus practicis mihi duces fuerunt: in clinico propaedeutico et therapeutico medico Ill. Nasse; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico in fasciis applicandis Ill. Wutzer; in exercitationibus obstetriciis ad phanthoma et in clinico obstetricio Ill. Kilian.

Quibus omnibus viris summe de me meritis maximas ago gratias.

THESES.

1) *Inter morbum scrofulosum et tuberculosum nullum discrimen.*

2) *Ad phthisin sanandam tuberculosam antimonium optimum est remedium.*

3) *Ad hepatis atrophiam et ad diabetem mellitum sanandum Foenum Graecum omnibus remediis est praeferendum.*

4) *Sunt signa certa virginitatis.*

5) *Partus praeteriti non signa certa.*

6) *Amputatio solum in laesionibus e causis externis exortis est indicata.*

7) *Foetus a prima origine est animatus.*